



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

147. De potestate Principum circa bona Hæreticorum confiscata, & iura
Tribunalis Sancti Officij defendatur. Et pro intelligentia supradictarum
quæstionum aliqua primo in textu huius Resolutionis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

3. Sed quid dicendum si, v.g. legantur, duæ, vel tres lineæ in quibus legens certò novit contineri hæresim? Duardus in *Bulla Cœna*, lib. 1. *can. 9. 46. n. 4.* & Reginaldus *com. 1. lib. 9. cap. 1. 4. scilicet. 9. n. 254.* putat non obstante parvitate materiæ linearum, incurtere in excommunicationem, quia facit contra finem legis, cum se exponat periculo imbibendi hæresim, & scienter legat partem libri, propter quamlibet ipse prohibetur.

4. Sed hæc sententia aliquibus non placet, quia non dicitur quis exponere se periculo imbibendi hæresim statim ac scienter legit aliquam propositionem hæreticam, nisi simul legat etiam rationes, quibus hæretici eam probare contendunt. Quis enim dicat hominem Catholicum legentem in aliquo libro hæretici hanc solum propositionem, Christus non est Deus, vel duo tantum sunt Sacramenta, statim censeri expositum periculo illas hæreses imbibendi? & confirmatur, nam qui certò scit in aliquo loco libri non contineri hæresim adhuc incurrit excommunicationem legendo, ut omnes concedunt, & tamen non facit contra finem legis, ergo è contrario, quamvis faceret contra finem legis, legendo, v. g. unam lineam libri, in qua continetur hæresis, non statim censetur excommunicationem incurtere, quia finis præcepti non cadit sub præcepto. Adde quòd neque hoc casu dicitur facere contra finem legis, quia verè non se exponit periculo imbibendi hæresim moraliter. Et hæc omnia docet Merolla ubi supra.

RESOL. CXLVII.

De potestate Principum circa bona hæreticorum confiscata, & jura Tribunalis Sancti Officii defenduntur?

Et pro intelligentia supradictarum questionum aliqua primo in textu hujus Resolutionis supponuntur? Ex p. 12. tr. 3 & Misc. Ref. 2.

§. 1. **S**upponamus inter Principem laicum, & quosdam suos vassallos mercatores fuisse initum contractum cum hoc pacto; *Vi bona illorum, qui carcerati, vel damnati in posterum essent ab Inquisitoribus dicti Regni propter hæresim, Apostasiam, seu Iudaismi crimen nullo modo confiscata, nec etiam inventariata esse possent.* Ex altera verò parte præfatorum hominum pro recompensatione dictorum bonorum confiscandorum aderat obligatio mittendi, & sustentandi in mare suis expensis, v. g. aliquas naves magnas benè munitas, ac provistas de militibus, & aliis necessariis ad bellandum, si opus esset, & ad alia pro utilitate, & custodia Regni dicti Principis. Quæritur an dictum Diploma, seu contractus fuerit licitus, & validus, possitque in posterum prosequi, & sustineri? Et novissime affirmativam sententiã docet quidam Iuriconsultus Pedemontanus vocatus Iacobus à Castro bono (si nomen non est fictitium) in consulto impresso de hac re, & pro Achille suæ sententiæ dictus Iuriconsultus hanc rationem adducit: quia si bona hæreticorum, post latam ab Inquisitoribus sententiã, ita illius Principis sunt propria, ut possit de illis liberè disponere, eaque donare cuicumque voluerit, etiam ipsismet hæreticis quibus fuerunt confiscata, ut est in confesso apud omnes Doctores, ergo poterit ista donare, seu remittere pro illo tempore, quo ad suum dominium, & ætatem pertinere debent, quod maxime procederet, si ex hoc sequeretur aliquod magnum bonum Reipublicæ, ac Regno.

2. Sed hanc sententiã prorsus esse refellendam existimo: & ideo pro negativa sententiã. Suppono primo, applicationem bonorum hæreticorum penes

Pontificem esse: cum enim crimen hæresis Ecclesiasticum sit, cap. *ut Inquisitionis*, §. *prohibemus de hæreticis in 6.* Pontifici convenit committere illud punire, sive Ecclesiasticos, sive laicos, cap. *licet de procompet. & ibi glossa.* At una ex penis, quæ adversus hæreticos feruntur est confiscatio bonorum, ergo in illa imponenda Constitutiones Pontificiæ servandæ sunt, & præferendæ aliis Regiis Constitutionibus, si forte contradicant. Confirmatur; Cognitio hujus criminis Pontifici ejusque Ministris convenit, & nullo modo potestatibus secularibus, ut habetur in supradicto cap. *ut Inquisitionis*: Ergo etiam applicatio bonorum hæreticorum, solum Pontifici, & quibus ipse facultatem dederit, pertinebit, quia hæc accessoria est primæ cognitioni, vel potius condemnationi: Accessorium autem juxta naturam principalis judicandum est, capite, *Accessorium de regul. juris in 6.* Ergo.

3. Suppono secundò, circa applicationem dictorum bonorum, Pontificem in cap. *Per gentes de hæreticis in 6.* sic statuisse: *In terris verò temporali nobis jurisdictioni subiectis bona hæreticorum suorum publicari. In aliis idem præcipimus fieri per potestates; & Principes seculares, quos ad id exequendum, si forte negligentes existerint, per censuram Ecclesiasticam, applicationem remota, compelli volumus, & mandamus.* Et ita docet Glossa ibi verb. *Præcipimus.* Et est communis sententiã. Hoc tamen non obstante postea statutum est, ut declaratoria sententiã super confiscatione bonorum ubique feratur per judicem Ecclesiasticum, Episcopum videlicet, aut Inquisitores, ubi Tribunal Sanctæ Inquisitionis fuerit admissum, aut ad secularium, de eorum tamen commissione, spectat, & Index secularis nihil se potest intrinicare in hac re, nisi quatenus per judicem Ecclesiasticum fuerit requisitus. Patet in cap. *ut Inquisitionis*, §. *prohibemus ut ex cap. cum secundum leges*, §. *final. de hæreticis in 6. ibi.* Confiscationis tamen hujusmodi executio, vel bonorum suorum acceptio fieri non debet per Principes, aut alios Dominos temporales, antequam per Episcopum loci, vel aliam personam Ecclesiasticam, quæ super hoc habeat potestatem, sententiã super eodem crimine fuerit promulgata. Itaque libentibus annis fuit visum statuere, & revocare decretum capite *Per gentes*, ad vitanda aliqua incommoda, quæ passim in hoc negotio inter utrumque judicem oriebantur: & quia de jure ad eosdem judices penarum executiones spectant, ad quos cognitio criminum spectat. Vnde pro executione dictorum Canonum in nostro Sacro Tribunali hæreticorum bona ante latam sententiã sequestrantur, ut præscribitur in institutione Toletana Ferdinandi de Valdes anno 1571. *num. 8.* ubi sic habetur: [El Eclesiavano de Secretos alieno por menudo, y con las mas particularidades que pueda, todas las cosas del dicho Secreto, para que quando se engrare en los bienes por el Receptor, o Secreto, se pueda tomar cuenta dellos cierta, y verdadera, poniendo en la cabça el dia, mes, año; y el Secrestador, o Secrestadores lo firmen al pie del Secreto juntamente con el Alguazil, poniendo testigos: y haziendo el Secrestador obligacion bastante.]

4. Suppono terciò, ex consuetudine, vel privilegio Apostolico posse aliquos Reges fisco suo applicare bona hæreticorum confiscata, & sic restat observari in Gallia Gulielmus de Benedictis *in repet. cap. Raynatus, versicul. & uxorem, numero 242. de testament.* Et Ioan. Imbertus in *instit. Gallie lib. 3. c. 6. lib. 2. fol. mibi 662.* & in Hispania idem testatur Covarr. *lib. 2. var. cap. 9. num. 2.* & Salzedus in *Pract. var. lib. 2. var. cap. 9. num. 2.* & Salzedus in *Pract. Bernard, Diaz cap. 114. littera F. fol. mibi 458.* quibus adde Sanctarellum *tract. de hæresi. cap. 33. dub. 1. num. 3.* & alij quos plena manu adducit Farinacius de hæresi *quest. 190. §. 12. num. 188.* Et ideo in sententiis nostri Tribunalis,

Tribunalis, ut patet apud ordinem procedendi Pauli de Garzia fol. 54. apponuntur hæc verba: [Y declaramos sus bienes muebles, y raizes, y se movientes ser confiscados, y pertenecer a la Camara, y Fisco de su Magestad: y por esta nuestra sentencia se los aplicamos, y a su Receptor en su nombre el fol. 67 col. 1. y declaramos todos sus bienes ser confiscados a la Camara, y Fisco de su Magestad, y si es necesario se los aplicamos, y a su Receptor en su nombre desde el dia, y tiempo que cometo los dichos delitos, cuya declaracion en nos refervamos.]

5. His suppositis, ad quæsitum negativè respondeo. Probat nōstra sententia, quia confiscatio bonorum est pœna præscripta à Sacris Canonibus, ut imponatur necessariò criminis crimini. Ergo Principes Laici circa dictam pœnam nihil possunt sancire, & contractus inire ex def. & jurisdictionis: nam statuerent contra Sacros Canones, & contra delictum prorsus spirituale, quod ad ipsos nullo modo potest pertinere. Quæ omnia patent ex supposito primo, & secundo ubi supra.

6. Dices hanc confiscationem bonorum, ut in supposito tertio probavimus, pertinere ad ipsos Principes.

7. Respondeo, ad ipsos pertinere finito iudicio, & post latam sententiam ex benignitate Sedis Apostolicæ, vel ad recompensandum expensas pro maintenance Sacri Tribunalis: ergo ante latam sententiam, ipsi nihil possunt de dictis bonis confiscatis statuere: nam ut dictum est, statuerent contrarium, quod præscribunt Canones in medicinam, & præventionem hæresis, & ad hæreticos deterrandos; & ut fraxum eis imponant, ne in hæresim timore confiscationis bonorum incidant, juxta illud; Oderunt peccare mali formidine pœna, & ex l. 1. C. ad leg. Jul. & C. Irrefragabili, §. Caterum, ubi Glossa verb. pœna de offic. Ordinarij. Et ideo Innocent. I. V. in c. excommunicamus, §. damnati de Hæreticis, & in alijs iuribus Alexander IV. Clemens IV. & Eugenius IV. in eorum Constitutionibus ad diversas Inquisitiones directas statuunt, ut bona hæreticorum statim remaneant confiscata penes Inquisitores. Et tamen in casu nostro si Princeps laicus efficeret contractum, quod nullo pacto confiscata, nec etiam inventariata esse possint, utique sic tolleretur jurisdictio largita, & præscripta Inquisitoribus à Sacris Canonibus & Summis Pontificibus, adhuc per tot annos possessa, & practicata à Tribunalibus Sancti Officij. Quid tibi videtur Amice Lector? Canones, Pontifices, & praxis Sancti Officij circa delictum hæresis unum determinarent, & Princeps laicus aliud in contrarium statueret.

8. Itaque dicendum est, quod Principibus bona hæreticorum per confiscationem post latam sententiam quæsitæ sunt, ut ex communi sententia observat Ricciolus de iure personarum lib. 5. cap. 14. num. 3. ergo nihil possunt statuere, ordinare, vel disponere circa dicta bona ante latam sententiam declaratoriam confiscationis, quia hoc esset disponere de re spirituali, & contra id, quod determinatum est à sacris Canonibus, & tot Summis Pontificibus. Et consuetudo, vel concessio Apostolica præbet quidem Principibus jus percipiendi bona confiscata hæreticorum post latam sententiam, sed non præbet illis jus, ut possint ante latam sententiam cum suis Diplomatum pervertere ordinationes Sacrorum Canonum, & stylum Sancti Officij circa modum procedendi, & condemnandi hæreticos, ut à Summis Pontificibus præscriptum, & confirmatum est. Quæ omnia confirmantur ex his quæ addunt Fatinae de hæres. q. 90. §. 12. n. 173. & alij penes ipsum.

9. Vnde ex his omnibus Calderinus de hæreticis

cap. 18. num. 4. dixit: Quod iudex secularis non intro-mittit ante sententiam Ecclesiastici Iudicis super bonorum confiscatione. Et Soula, ubi infra num. 1. Bona aut quorumcumque hæreticorum, quæ Fisco seculari applicantur, non pertinent ad illum, & ad dispositionem Principum secularium, nisi post latam sententiam, & antequam sententia proferatur, non valet secularis potestas de illis disponere, nec circa illam quidquam ordinare. Et optime firmat Carrena in Annotationibus ad Guidum Falcodium, quæst. 15. n. 12. Principem seculari non posse se ingerere in bonis Hæreticorum, nisi post sententiam Inquisitorum.

10. Merito itaque ex superius dictis, in terminis, ut dici solet, terminantibus, contra Consilium citati Iuriconsulti Castro-boni pro resolutione nostri quæsitii sic doctè, & solide effatur Anton. Soula Dominican. & natione Lusitanus, Tribun. S. Inquisitionis Consiliarius in Aphor. lib. 3. c. 20. n. 10. Ante latam contra hæreticos sententiam, maxime ante eorum apprehensionem, non licet Principibus secularibus remittere alicui statui, & qualitatibus personarum bona confiscanda propter hæresim, etiam pro eo tempore quo adjudicanda sunt Fisco; Quia confiscatio est ordinata ab Ecclesia, & in pœnam delicti, & in medicinam & præventionem. Pen. ad 3. part. direct. q. 95. comm. 144. vers. hujusmodi autem. Nam hæresis plerumque à divitiarum cupiditate procedit; Apostolus 2. ad Timoth. 6. Castro lib. 2. de iusta hæreticorum punitione cap. 5. Et quia hæretici maxime sunt affecti divitiis, sicut diximus supra, per earum ablationem magis deterrentur. Sunt etiam hæretici ceteris sceleratis peiores, & sic per divitiarum possessionem plurimum nocent; Simanch. Cathol. tit. 9. n. 1. & 2. Si igitur sint certi per liberalem Principum concessionem aut ex vi alicujus pacti, quod quavis in hæresim prolabantur, non amittent bona sua, audaciores efficiuntur, facilius hæresim amplectentur, & in ea quam habent persistent impudenter. Quod proculdubio est hæreticis favorem prestare. Huc usque Soula. Rectè itaque ex his omnibus concludendum est, quod Principes seculares si forsitan in eorum Statutis, & Contractibus disponerent super confiscatione bonorum hæreticorum, & super illorum applicatione in præjudicium Ecclesiæ, & Sancti Officij, eorum utique statuta, & Conventiones non solum non valerent; sed etiam puniri possent, tanquam impediens Sanctum Inquisitionis Officium; ex text. in cap. Statutum el. 1. de hæreticis in 6. & ubi Glossa, & communiter Doctores, & speciatim ex Pen. & Parisio docet Farinacius quæst. 90. §. 12. num. 174.

11. Restat modo respondere ad argumentum Castro-boni superius adducti, quod hæc bona pertinent ad Regem: ergo potest de illis disponere, ut vult, maxime quando efficeretur pro bono publico Regni. Respondeo ex dictis, Reges post latam sententiam posse de dictis bonis disponere; quia tunc Pontifices & jus Canonicum præbet eis talem facultatem, quod tamen antea non permittit, imo negat, ut patet ex superius dictis. Non obstat bonum publicum: nam utilitas publica minimè potest conferre jurisdictionem non habenti; & in casu de quo loquimur debet publicum bonum temporale cedere bono publico spirituali, ex consideratione adducta à Soula, in verbis citatis. Vnde ab hac sententia prorsus non esse recedendum, nec de illa amplius dubitandum patet ex Brevi Sanctissimi Domini nostri Innocentij X. edito anno 1651.

12. Instat adhuc Castro-bonus, & asserit, quod relaxatio bonorum confiscatorum licita est, & efficitur in Italia, ut patet. Ergo, &c.

13. Respondeo in Italia bona confiscata condonari post latam sententiam ab Inquisitoribus, & à Pontifice habentibus jurisdictionem, & ex eorum benignitate,

rate, & cetera Indulgentia. In contractu vero, de quo loquimur efficitur à laicis jurisdictione, carentibus & ante sententiam, & hoc ex iusta ratione Contractus onerosi inter Principem Laicum, & illos homines ut fateretur ipsemet Castrobonus: ergo unus casus distat ab altero quantum distat ortus ab Occidente: nam in uno casu observantur ea, quæ Canones statuerunt circa hæreticos, & quod observat Praxis Sanctæ Inquisitionis: In alio casu contrarium efficitur. Deinde in Italia remittuntur hæreticis bona confiscata tantum in quibusdam casibus, ut patet etiam in nostra instructione compilata à Priore Sanctæ Crucis Hispani anno 1484. §. 4. & apud Zanchinum de hæresi cap. 25. Parisium conf. 2. num. 184. lib. 4. Rolandum à Valle conf. 92. n. 24. lib. 3. & alios quos adducit Farnacius, q. 190. §. 12. n. 133. & 135. & Castros Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 3. punct. 24. n. 2. & 3. Sed in Contractu de quo est questio, ut suppono, absolute disponitur: ut bona illorum, qui carcerati, vel damnati in posterum essent ab Inquisitoribus propter hæresim, Apostasiam, seu Iudaismi crimen nullo modo confiscata, etiam inventariata esse possint. Adde quod si ex aliqua causa facienda esset relaxatio, seu transactio circa bona Hæreticorum confiscata, adhuc spectaret, & esset facienda ab Inquisitoribus, & non à laicis, ut perperam in casu de quo loquimur, efficitur.

14. Vnde quid quæro diceret Conradus, Brunus qui lib. 5. de hæreticis capit. 6. num. 9. negavit non posse ea benignitate, & misericordia remitti bona confiscata Hæreticis ex capit. Cum secundum leges de hæreticis in 6. in quo pena confiscationis delicto annexa est: Ergo semel commissio delicto, pena hæc excusari non potest. Quid inquam diceret Brunus de Diplomate Lusitano? in quo non Iudex Ecclesiasticus, sed laicus absolute, & universaliter remittit bona confiscata hæreticis, & hoc ante latam sententiam, non obstantibus Sacris Canonibus, & Constitutionibus Pontificiis in contrarium, & praxi S. Officii.

15. Et tandem Castro-bonus ubi supra quest. 3. asserit. Pontificem non habere potestatem directam in temporalibus, sed tantum indirectam in ordine ad bonum spirituale: Ergo non posset de potestate absoluta annullare, invalidare contractum de quo agimus; quia non solum non est contrarius bono spirituali animarum, nec in damnum, aut præiudicium Ecclesiæ, sed potius in maximum commodum, ac evidentem Religionis Catholicæ utilitatem; quippe quod ipso occurrebatur inquisitionibus, & hostilitatibus hæreticorum, ac quantum humanitus possibile erat, ipsorum damna contra Catholicos impediabantur. Respondeo, quod ad idem iterum revertimur, eadem crumbe sapientius recocta, & repetita. Itaque jam supra satis ostensum est talem contractum non posse justificari ex bono publico, ut asseratur ex ipso provenire: nam etiam hoc supposito, laici non possunt aliquid determinare circa ea quæ Sacri Canones statuerunt quoad penam, & ordinem præcedendi contra hæreticos. Non est igitur bona consequentia: Bonum, & necessitas publica hoc postulat: ergo licite efficitur, per ea quæ ex multis probavi in part. 6. tract. 3. resol. 8. Et quia Castro-bonus pro iustificatione dicti statuti, seu Contractus, ut diximus, semper recurrit ad rationem, quod initus fuit propter bonum publicum, & publicam necessitatem, Non deferam hic adducere exemplum satis appositum pro casu nostro, & adductum à Viro doctissimo Ferdinando del Castillo Ordinis Prædicatorum in Histor. D. Dominici par. 1. lib. 3. cap. 41. ubi sic ait,

nam codicem Hispanum non habeo. [Procederunt] negotij della Inquisitione molto vivamente: e l'effequatione della Giustizia si faceva, come conveniva à quel Tribunale, senza accertatione di persone, e senza rispetto alcuno, imperò non mancando mai tra gli huomini certe compassioni indifferete, alcuni fecero impresa di ottenere da quei Rè una certa sorte di perdono, d'gratia à favore di certi heretici judizianti. E havendo preso per occasione la necessità grande, che occorreva di far denari nella Casa Regale, servendone offertero una gran somma di pecunia per le spese della guerra. E doveva il negotio esser già molto innanzi, quando venne à notizia di Priore di Santa Croce, il qua le preso un Crocifisso, e trovando il Rè, la Regina, che stavano insieme di compagnia, caccio fuora quella santa Imagine, e disse; Signori io porto qui meco Giesù Christo, che da Guida fu già venduto per trenta danari, e per danari lo dette in mano de' suoi nememici. Hora se pare alle Vostre Altezze di venderlo à maggior prezzo, e di nuovo consegnarlo in preda à i medesimi, io me ne sgravo sopra di loro, si che ne habbiano render conto quei proprii, che firanno tal vendita. Hora ad un petto tale e così Christiano non bisognava altro rincontro, che quello di quel Rè invidiosissimo, i quali senza altro deliberarono che non se ne parlasse mai più; mà che il Sancto Officio procedesse come haveva cominciato, senza ammetter già mai nè preghi, nè compositione d'alcuna sorte. Huc usque del Castillo, ex cuius verbis patet quam magna fuerit pietas, & Religio nostrorum Regum Ferdinandi, & Isabellæ, & reverentia erga Tribunal Sanctæ Inquisitionis, & ejus supremum Ministrum, nam illico ab ipso edocti destiterunt. Itaque omnes relaxationes, compositiones, & gratiæ Principum secularium circa delictum hæresim sunt reprobandæ ex quocumque fine boni publici factæ fuerint. Et ideo dicendum est absolute in casu nostro, posse Summam Pontificem annullare, & invalidare dictum Diploma, seu contractum, utpote initum contra Canones, Constitutiones Pontificias, & stylum Inquisitionis; ex quo statim bona hæreticorum sub Inventario reducenda sunt, & tamen contractus de quo loquimur hoc vetat, & sic pervertit ordinem, & modum iudicium, utique adhuc in Sancto Officio invariabiliter observatum, & fundatum in Sacris Canonibus, & Constitutionibus Pontificiis; nam qui vult finem, vult etiam media ad ipsum finem: Ergo si Canones volunt bona hæreticorum in penam confiscanda esse, necessarii illa sequestrari, & inventariari velle dicendum erit. Nec de superius dictis dubitari amplius potest. Nec de superius dictis memorie Innocentij X. fuisse Diplomate felicitis memorie Innocentij X. superius adducto. Et hæc dicta sufficiant circa præsentem questionem, quam scripsi, ut minimus minister S. Tribunalis, supremo eius moderatore in Regnis Hispaniarum Illustrissimo, & Reverendissimo D. D. Didaco Arce Reynosa viro incomparabili, nobilitate conspicuo, pietate eximio, prudentia admirando, ac omnigena literatura celeberrimo Domino meo amantissimo.

In indice primo hujus Tom. 5. lege Apêdicem ad hunc Tract. 10. ubi reperies alias paucas quest. mistas, & dispersas per alios Tom. Tract. & Ref. quæ simul pertinent ad hunc Tract. 10. de Potestate DD. Inquisitorum.